



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici  
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||  
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam  
Decani**

**Krantz, Albert**

**Coloniae, 1574**

Capvt XV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11453**

ciatur: Eant quò possint, panem quæsituri: non esse illis in obfessa vrbe locum, vbi grauari possint, adiuuare non possint, ad meliora tempora reuersuri. Disseminantur illi, quæ quisque poterat. Ità factum est, vt exonerati, obsidionem diutiùs tolerarent. Phrisij interea, superbum genus hominum, & quod sibi multum arrogat de libertate, Ockonem virum in eis primarium, quòd inter Germanos militans, militarem cingulum acceperit, factus eques auratus, occiderunt: arbitrati illum à patria libertate degenerasse, cui peregrinam inducere tentauerit nobilitatem. Mira hominum temeritas palustrium. Cæca superbia, quæ insolentiam indè concipit, quòd non facillè armis ad iuga coguntur. Vxor autem Ockonis, viri necem vindicatura, ad comites de Aldenborg & Delmenhorst profecta, arma comparat in tumultuantes. Non contemnenda manus erat quæ ducit in Phrisiam: ecclesiam, quam de more gentis incastellare, oppugnant: deiectaque, Phrisiones ibi repertos adducunt, iussit capite plecti.

## CAPVT XV.

**E**Ricus dux Saxonie inferioris, cum à Magnopolensibus infestaretur, non passus iniuriam, quantopotuit arma in possessiones & prædia familia de Lutzen mouit, deiecitq; quatuor eius gentis firmas munitiones, quintam verò sibi reseruauit in Turo, præsidium ibi habiturus, quoties in terram memoratam esset expeditio dirigenda. Quo tempore, cum esset nonagesimus secundus post mille trecentos, gymnasium Erphordense fundatum est, Bonifacio IX. priuilegium donante, theologica ibi permissa facultate. Non vacat admiratione, Germaniam tam diu sine publicis egisse lite-

lite-



literarum gymnasijs. Francia quidem à memoria Karoli I. eo genere claruit. Italia non longè post Bononiæ, & quibusdam alijs locis, publicè docere cœpit. Sed Germania omnium ad cultum nouissima prouincia, nunc primùm incipit publica excolere Palladia. Nam Bohemia, non diù est, quòd sub quarto Karolo Imperatore & rege suo, Pagæ publicum meruit literarum gymnasium. Interim verò Morauie marchiones, Iodocus & Procopius fratres, cùm etiam Brandenburgensem tenerent principatum, graui inuicem bello dissidebant: cùm alteri Wentzlaus Romanorum rex, alteri Sigisfundus Vngariæ rex, item fratres, studerent. Bella eius generis formidabilia, quæ plusquàm ciuilia dici debent: Sed æque uitas nataliũ inter fratres, facit vt alter alteri non cedat. Per idẽ tempus, cùm Fridericus dux Brunswici grauius à militaribus ecclesiæ Hildesemensis, de Stenberg atque Swichelen, contemneretur, in eos armatum produxit exercitum, nec illi minores animo, fideret duci obuiam proficisci, amicis & fœderatis in arma uocatis: Non procul Goslaria, magno utrinquè cõcursum est pralio, pugnatumq; diù ancipiti fortuna variante. Cùm iam inclinari pars ducis uisa est, uelut calo missa cohors equitum sub manu militis de Godenstede, duci aduolitat: Fessis recentes uiribus incurrunt, & faciliè uictoriam duci pariunt: vulnerati, cæsi, capti, magna pars militarium antedictorum: Dux ex captiuis non paucã accepit auri summam, compensans, quam pridem illis impenderat, ad fratris sui Bernhardi dudum ab eis capti redemptionem.

## CAPVT XVI.

**B**ernhardus dux Luneburgensis, & Otto comes de Hoia, cùm hostili essent animo in episcopũ Osna-  
 burgen-